

BRAVNI, doctæ tuæ, coijt qua totus in vnum
 Orbis, & ingenio tibi se submisit in æuum
 Omne tuo, quicquid natura constat, in artem,
 Inque tuos vsus confert ter maximus orbis
 Olim, nunc verò quater idem maximus orbis,
 India cum accedit soli supposita cadenti,
 Finesq; Antipodum & sine limite peruia tellus:
 Huc labor applicuit finem tuus, huc tua profert
 Scripta simul tecum victura perennis in æuum.
 Semita quæ solis, lunæ qui cursus, is idem
 Musarum, BRAVNI, est post secula multa tuarum.
 Cum Musis hiberna tuis, æstiuq; degis;
 Hoc Ver, Autumnusq; tuus, Vertumnus is idem;
 Hoc exercitium seruent, moremque beatum
 O vtinam plures, pauci quos Pallas amavit,
 Seruant: è factis exempla probata petuntur,
 Euge, tuis, eademque viris aptissima doctis;
 A proprijs exempla petis tu maxime factis,
 Supra alios pronus virtuti, arti que pudicæ.
 Insinuas mihi ritè viam; tua limina seruem
 O vtinam, ad similes velox assurgere curas,
 Vt fateare bonum me, quamuis longius ex hoc
 Diffiteare parem Musæ, Phœbiq; ministrum.
 Cum Phœbo tibi Musa dedit prænobis artes;
 Huius & huius habes laudes, decus omne; duorum

Tu decus es, laudesque; mihi concede fauorem
 Hunc aliquem, atque adeo magnum concesseris, vt
 sim
 BRAVNI ADES, titulo cõmunis amoris, amicus.
 Quantæcunq; forent vires, tibi dedico, partim
 Debeo; tu mihi Musarum non vana parabas
 Subsidia, hæ vitæ auxilium quo:lcunq; pararunt.
 Cœperat ingenium prima quasi mæsis in herba
 Efflorere mihi, sed erant quæ multa verabant;
 Continuo ergo cies arrecta cupidine corda,
 Sed depressa prius mihi: quis neglectus hic, inquis,
 Actorpor? cole diuinam, ne abiste, poësim,
 Te colet ipsa, vicem grauido cum fœnore reddēs.
 Quod fuit obtusum subito tenuatur acumen;
 Prædura ceu cote chalybs, lima q; politur.
 Depudet haud igitur, piguit fortassis, ad istam
 Militiam te autore dedi quod nomen: habeto
 Fructus, quos ferret, voluisti, furculus iste;
 Et facias, ramis fiat florentibus arbor.
 Scribe potens, felix, vt abhinc sacris olympo;
 Vtque choris nunces Musarum interitus, olim
 Emeritos Phœbo Musisque beatior annos
 Cum trades, superum pars & non infima fias.
 O BRAVNI patriæ lumen, columenque tuorum.

ACROSTICHIS.

Grate Deo BRAVNI, non inficiãde Camœnis,
Euge, Vbijs, magnum condere pergis opus.
Officium tibi victuras, est pangere chartas;
Reddã pro sacro nunc Heliconã choro.
Gestio, sacra nihil Musis non cedite, tantum
In studijs studio concelebrate virum.
Vrbes Palladias quinto cum fœnore profert;
Sic quoque Georgus Pallade digna facit.

Bella theatra facit; colet officiosa theatris
Rarum scena virum, fornice clarus erit.
Amphitheatra cui fient tandem, ista theatra,
Virtutis monstrent vt monumenta nouæ.
Nunc est, semper erit, quod eũ trãscribet olympo
Ingenium, fruitur quo propiore Deo.
Viuentem inscribet manus illum; docta metallis,
Seruabitque illum floribus herba suis.